

que dominus noster cum ipsa operatus est, diligenter perscrutans, ea que fidelium utilitati congruere videbat, conscripsit, ea vero, que legentibus non prodesse sciebat, omnino reticuit.

Dum vero sepius ad eam visitandi gratia veniret, frequenter hortabatur eum ad sacrum ordinem sacerdotii ascendere, quia adhuc in diaconatus officio erat. Ipse vero diversas causas timoris sui pretendens, tam arduam rem aggredi nondum audere fatebatur. Que die quadam inter missarum sollemnia cum suo more archana secretorum Domini per spiritum contemplaretur, fecit mentionem de eo coram domina nostra sancta Maria quam sepiissime videre consueverat. Que respondit ei sicut in libro¹ visionum eius invenitur: Dic servo meo: 'Noli timere, fac quod facturus es et redde rationem de servitio meo quod mihi facere debueras et non fecisti'. Eo tempore cum hec agerentur, Romam causa peregrinationis adire disposuit et ibi apud dominum apostolicum hunc sacrum ordinem aggredi temptavit, quod et factum est. Nam sociis secum assumptis, qui et ipsi eandem peregrinationem adierunt, Romam venit: domino apostolico causam itineris patefecit et eius voluntate huius sacri ordinis dignitatem honestissime suscepit.

Regebat tunc Romanam ecclesiam Adrianus papa et Treverensem Hillinus archiepiscopus, et erat in anno quo Fredericus rex cum exercitu Romam ingressus ab eodem papa consecratus est imperator².

Interim vero cum Rome moraretur, predicta soror eius Elisabeth quadam nocte gravissima infirmitate laborabat, et vidit in visione eundem fratrem suum cum clava stantem et magnum conflictum cum diabolo habentem, qui vehementi impetu innumerabiles sagittas iniecit in eum. Ille vero contra viriliter resistebat, quod omnino ab eis ledi non potuit; ad ultimum vero iniecit in eum igneas sagittas preacutas, e quibus unam totis viribus iniecit in eum, que paululum adhesit corpori eius, cuius invasione, ut ei videbatur, debilitatus est, usque ad genua laberetur, sed tamen renisis luctamine vehementi iterum restitit; ad ultimum visum est ei, quod quidam venerandus vir venit, quem intellexit esse venerabilem abbatem patrem nostri monastici ordinis, sanctum Benedictum, afferens (sic!) ei monachi cucullam et baculum pastoralem, et dicebat ei: 'In hoc vince'. Sicque confortatus omnem illam maligni hostis infestationem superavit. Post pascha³ reversus a Roma cum divina misteria apud sorores in festo ascensionis Domini⁴ celebraret, post lectionem evangelii cum staret in oratorio eadem soror eius cum ceteris sororibus ad orationem, venit vox de celo ipsa sola audiente cum terrore vehementi,

1) Im ersten Buch, doch ist nicht der Bruder bezeichnet. 2) 18. Juni 1155. 3) Ostern war 1155 am 27. März. 4) 1155 am 5. Mai.